

conversos Ephesios moneat, ut *non amplius* ambulent, ut reliqui Gentiles : Ex quo colligi potest, quod Ephesii ante conversionem suam fuerint in eorum numero, de quibus Paulus v. 19. dicit, quod ἀπηλγηκότας semet ipsos tradiderint lasciviæ, quia post conversionem non amplius in ista via ambulare debeant. Unde & *Museus* Tractat. de Conversione Disputat. 4. cap. 3. th. 66. inter peccata, a quibus fit conversio, etiam illorum duritiem reponit, quos Paulus ἀπηλγηκότας vocat, quod ex consuetudine peccandi quasi occalluerint, ut nullum conscientiae morsum, dolorem nullum ex peccatis perpetratis sentiant. Nec quicquam, quid mentis iudicium dicat, curant, sed semetipsos tradunt lasciviæ ad patranda immunditiam omnem ἐν πλεονεξία, i. e. ut *Museus* explicat, avidissime Ephes. IV. v. 19. & *Baldwinus* in Casibus Conscientiæ Lib. II. cap. 10. Cas. 2. cum pag. 275. prolixè descripsisset induratos Verbi divini auditores, illisque etiam ἀπαλγησίαν illam à Paulo Gentilibus adscriptam tribuisset, sequenti pagina 276. addit, cogitandum esse huiusmodi induratis, quod verbum Dei instar ancipitis gladii pertingat usque ad divisionem animæ & spiritus non sine dolore peccatoris, sed tamen cum magno ejus fructu, si gladium hunc patienter admittat. Unde patet ex *Baldwini* sententia, etiam ἀπηλγηκότας ad sensum pietatis gladio verbi divini reduci posse. Quid multis? Deus, qui non delectatur morte ullius peccatoris, etiam non vult mortem eorum, qui dati sunt in sensum reprobum & dedoluerunt. Christus, qui est propitiatio pro totius mundi peccatis, eos etiam à peccatis mundat, qui dati sunt in sensum reprobum & dedoluerunt, si ad pœnitentiam se reduci patiantur, quæ conditio jux-

ta